



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
praxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Quæstio 14. Quid agendum in Missione, ubi rara est præsentia Pastoris,  
de absolutione Sponsi, qui ipso die nuptiarum deprehenditur vagæ libidini  
assuetus in Confessione quâ se ad Sacramentum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

122 Pars 3. tract. 1. De Opinionum probabilitate  
viter, Quia non pauci in confectione & usu  
istius instrumenti admittunt incurri peccatum  
veniale contra veracitatem, siquidem illud  
proferens intendit ut falso credatur esse instru-  
mentum quod primò autoritate publicâ con-  
fectum fuit. Alii verò ajunt illam deceptionem  
sequi tantum per accidens, & præter intencio-  
nem conficientis novum instrumentum, quæ  
per se non tendit ad deceptionem, sed ad con-  
servandum suas fortunas aut famam, aliàs sine  
sua culpa, sed casu fortuito amittendam, id-  
que cupit fieri per illud instrumentum non tan-  
quam primum, sed tanquam conforme verita-  
ti, & æquitati quæ in eo continetur.

#### QUÆSTIO XIV.

*Quid agendum in Missione, ubi rata est presentia  
Pastoris, de absolutione Sponsi, qui ipso die  
Nuptiarum deprehenditur vagæ libidini assuetus  
in Confessione qua se ad Sacramentum matri-  
monii suscipiendum disponit?*

**R**esolvere videtur contra alios passim, no-  
vus Author in sua *Methodo remittendi & veni-  
endi peccata* p. 115. differendam esse istius Sponsi  
absolutionem donec tandem ipso actu confes-  
secutam esse vitæ emendationem, nisi forte  
præbeat signa pænitentiaæ extraordinaria. Quia  
in consuetudinariis vix reperitur controversio  
vitæ repentina. Et quidquid ex illa dilatione  
sequetur turbarum, aut incommodorum, non  
poterit Pastori imputari.

Respondeo tamen, hanc dilationem non esse  
con-

conformem communi praxi, aut sententiæ Doctorum passim receptæ ac probatæ, nisi præter subitanæ conversionem, adfit in pœnitente specialis ratio cur de præsentis illius dispositione prudenter dubitare oporteat. Nam absque hujusmodi ratione imprudens est Confessarii dubitatio, dum pœnitens affirmat se ex animo & serio de peccatis dolere, firmiterque habere propositum emendationis; ac paratum esse remedia in hunc finem à Confessario præscribenda amplecti. Neque præter hæc aliud à Tridentino ad legitimam pœnitentis dispositionem requiritur. Quod si aliquid horum in pœnitente minus perfectum appareat, pro idoneo remedio non est statim differenda absolutio, sed proponenda sedulo alia motiva quibus illa dispositio perficiatur. Si verò nihil istorum desideretur, quorsum cum tantis incommodis in tempus futurum & incertum proroganda absolutio? Prætendis periculum relapsus? An non vides periculum illud dilata absolute magis invalescere? Sic enim pœnitens advertens se in pristino statu relictum, & nondum gratiæ restitutum, multò facilius peccatis suis nova peccata accumulabit, sperans omnia simul unicâ absolute abolenda: qui si ab initio absolutus fuisset, majorem cautelam adhiberet, ne novo flagitio acceptam gratiam statim amitteret. Quin & ipsa gratia Sacramenti, ad resistendum tentationi, majores ei vires suppeditaret. Denique praxis contraria præsertim in casu proposito manifestè adversatur consilio Apostoli, qui pro remedio contra relapsum in libidinem hortatur 1. ad Cor. 7. *Si se non continent, nubant*; cum è contrario praxis illa novitia præscribat, ut prius discant se continere,

124 Pars 3. tract. 1. De Opinionum probabilitate  
tinere, quàm nuptiis pro incontinentiæ reme-  
dio utantur. Quid verò aliud hoc est, quam  
velle agrum prius à morbo integrè convalesce-  
re, quàm ipsi liceat pharmacum sanando mor-  
bo idoneum adhibere?

Huic omninò contraria videtur methodus  
absoluendi quæ traditur in Tridentino sess. 14.  
cap. 2. ubi docet, Christum voluisse lapsos in  
peccata se sistere tanquam reos in tribunali pæ-  
nitentiæ, *ut per Sacerdotum sententiam non semel,  
sed quoties de admissis peccatis ad ipsum pœnitentes con-  
fugerint, possint liberari.* Declarat igitur univer-  
sim, & sine exceptione, pœnitentes etiam relap-  
sos posse toties rite converti, & toties à Sa-  
cerdote absolui, quoties de peccatis verè pæ-  
nitentes ad ipsum confugerint. De hac autem  
pœnitentiâ sufficienti non potest aliunde certus  
esse Confessarius, nisi ex verbis, & testimonio  
ipsius confitentis, futuram vitæ emendationem  
toto animi affectu promittentis. In tribu-  
nali enim pœnitentiæ peccator non solum agit  
partes rei, sed etiam accusatoris & testis: ideo-  
que illi credendum, non tantum quando se  
accusat ut reus, sed etiam quando affirmat ut  
testis se de peccatis dolere, & emendationem  
seriò proponere, nisi ex signis moraliter certis  
constet contrarium.

QUÆSTIO